



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1842

- I. Die Mecklenburgischen Herren Johann, Nicolaus, Heinrich und Pribislav bestätigen die Schenkung ihres Vaters zur Stiftung der Johanniter, Comthurei Mirow, im Jahre 1227.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54306)

U r k u n d e n.

I. Die Mecklenburgischen Herren Johann, Nicolaus, Heinrich und Pribislav bestätigen die Schenkung ihres Vaters zur Stiftung der Johanniter, Comthurei Mirow, im Jahre 1227.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Johannes, ego Nicolaus, ego Henricus, ego Pribizlavs, fratres, domini Magnopolenses, omnibus in perpetuum. Quoniam hominis generatio preterit et alia subsequitur, plura priorum facta in tempore deperirent cum tempore et obliuionis nubilo tegerentur, sed ad cauendam huiusmodi negligentiam ea, que rationabiliter gesta sunt, solent ad memoriam perpetuam indicio scripti notabilis eternari. Hinc inde uolumus ad uniuersorum tam presentium, quam futurorum noticiam deuenire, quod bone memorie pater noster Henricus, dominus de Roztoch, Deum, quantum humana fragilitas permittebat, pre oculis habens, pro suorum suorumque uenia peccatorum progenitorum, fratribus hospitalis sancti Johannis Baptiste in Accon, qui iugiter ibidem una cum reliquis fidelibus prelia domini preliantur, ad ampliandam ipsorum sustentacionem ipsis, ad honorem Dei sanctique Johannis Baptiste, contulit in terra Turne LX^{ta} mansos, spontanee ac libere renunciando iuri suo, quod in eis habuit uel habere aliquatenus uidebatur. Quia uero tota iurisdictio ac hereditas progenitorum nostrorum ad nos deuenit, quicquid domino Ihesu Christo a patribus nostris ad gloriam ipsius laudabiliter est impensum, pari uoto factis eorum consentientes, ratum habemus et inconuulsum, quicquid per eos dinoscitur esse factum. Unde supradictis fratribus hospitalis sancti Johannis Baptiste in terra Turne villam Mirowe cum LX^{ta} mansis et stagnum Miro[we] et stagnum Dammene et riwm, qui fluit per stagnum Mirowe, desuper et inferius, assignamus cum omni utilitate in agris et siluis, pratis et pascuis, aquis et aquarum decursibus, petitionibus et exactionibus et seruitiis, que uelgo Borchwerch et Bruggewerch nominantur, quemadmodum pater noster, omni iuri nostro libere ac irrefragabiliter renunciando. Ex hiis mansis XXX^{ta} erunt in uno latere stagni et ex altero XXX^{ta}. Ut igitur hec omnia rata permaneant et in perpetuum illibata et per omne seculum inconuulsa, dictos fratres presenti scripto cum appensione sigilli nostri et cum subscriptis testibus duximus communire. Nullus ergo hominum hanc nostre donacionis paginam audeat uiolare, si diuinam effugere uoluerit ultionem. Testes hii sunt: Thedelinus prepositus fratrum de Dobrotin, Godefridus, Theodoricus, Bertoldus, Johannes, canonici de Guztrowe; layci: Zlawotech de Malegowe, Gotimerus et Johannes frater suus de Hauerberch, Vuizlaus castellanus de Robole, Henricus Gamba dapifer, Jordanus, Henricus Grubo, Bartoldus, milites castellani de Guztrowe. Actum in Guztrowe anno gratie M^{mo}. CC^{mo}. XX^{mo}. VII^{mo}. III^o. nonas Decembris, indicione prima. Datum per manum Conradi scriptoris.

Nach dem Original des Geh. Kabinets-Archives. Vgl. Jahrbücher des Meckl. Vereins II, 213. Einen fehlerhaften Abdruck dieser Urkunde findet man bei Buchholz, Gesch. der Churm. Brand. Thl. IV. Urk. Anh. S. 60.